



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Basilea Sacra Sive Episcopatvs Et Episcoporvm  
Basileensivm Origo Ac Series**

**Sudan, Claudio**

**Brvntrvti, 1658**

55. Fridericus II. à Blanckenheim.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11463**

*Anno  
Christi* undecies mille florenis obstringeret, arcem quoque Goldenfels Petro à Cly triginta duobus florenorum millibus: factâ insuper incolis potestate, ut juramentum Creditori dicerent. Et Basileensibus anno 1389. exsolvendis debitis minorem Basileam, jam antè duro vinculo ab ipsis met Episcopis devinxit. Delspergiam ægrè retinuit, cámque sex florenum millibus oppignoratam.

1391.

**FRIDERICVS I.**

A Blanckenstein,

*Episcopus Argentoratensis, Admistrator Basileensis.**LV.*

**I**mmerio Ramsteinio ad regendum Episcopatum non satis idoneo persuaserant Canonici, ut deposito Episcopi titulo, Præpositoram Cathedra-

thedralem repeteret. In eius pro-  
inde locum anno 1391. subrogatus  
Fridericus à Blanckenstein Episco-  
pus Argentoratensis sacramentum  
à subditis accepit, retento solùm Ad-  
ministratoris minúsque sumptuosof  
aut splendido nomine. Verùm, Fri-  
dericus Princeps constitutus, ( sic  
spes erat, ut emendaret, quæ Imme-  
rij effusio prodiga peccaverat ) novis  
ipse suscitavit debitibus : quando plu-  
ra adhuc Episcopatùs loca aut aba-  
licnavit, aut oppignoravit, redimen-  
di lege interpositâ. Et minorem  
quidem Basileam anno 1391. Basileen-  
sis devinxit viginti duobus flore-  
norum millibus, pactus, eam pecu-  
niæ summam se proximo anno red-  
hibiturum. Sed annus sequens æ-  
què inopem pecuniarum vidi Fridericum ac prior. Quare ipse circa  
diem Palmarum omne jus in mino-  
rem Basileam civibus ex integro  
tran-

*Anno  
Christi  
1391.*

*Anno  
Christi  
1391.*

transcripsit, pretio viginti, novē milli-  
um & octingentorum florenorum,  
venditionem hanc diplomate Pon-  
tificio, confirmante Bonifacio IX.

Sed necdum finis vendendi, ab-  
iungendique bona Diœcesis, quæ  
per ea tempora industrium Princi-  
pem, Oeconomiæ melioris peritio-  
rem desiderabat, Promos hactenus  
complures cribrorum instar nulla-  
rum opum tenaces, ad ruinam us-  
que suam passa. Certè idem Fride-  
ricus, præter ea, quorum jam me-  
minimus, Argentoratensi Episcopa-  
tui, factâ venditione, annexuit ali-  
quot Decimarum Quartas, quibus  
antea Basileensis Episcopus per Al-  
satiam fruebatur. Has verò Quar-  
tas, ut vocabant, omnium decima-  
rum suæ Diœceseos Episcopis olim  
assignaverat I. Concilium Aurelia-  
nense.

Anno tandem 1393. Fridericus  
postu-

postulat<sup>9</sup> Ultraiecti Episcopus, Guil-  
limanno auctore, in Episcopo 66. <sup>Anno  
Christi  
1393.</sup>  
Argentoratensi, Episcopatu Argen-  
toratensi, & simul Basileensis admi-  
nistratiōne se abdicavit, nullo certe  
sui desiderio relicto, quem pridem  
læto animo, bonis avibus disceden-  
tem conspexissent.

## CONRADVS

Mōnch à Landskron.

*Basileensis Episcopus.*

*L VI.*

IN Conradum necdum sacris ini-  
tiatum cecidere Canonicorum vo-  
ta. Sed nec is ulla parcimoniæ laude  
floruit, priorum secutus exemplum.  
Adeo difficile est retinere, quod im-  
presso jam ab aliis voluitur impetu.  
Quæ oppignaverant ipsius anteces-  
sores, graviore adhuc ære alieno pre-  
mere instituit, approbatâ anno 1394.

24. Au-